

sit fragmentum apud Aristotelem. Sed etiamsi quis ostendere posset in Mysis Sophoclis expiatam esse Telephi caedem, ne inde quidem necessario sequeretur, ut in Aleadis ipse Telephus fratres Auges interfecisset; quamvis probabile esset. Itaque gratulamur nobis, quod coniecturas nostras modestius protulimus; dolemus vero quod Welckerus id, quod maxime laudandum erat, vituperavit et tam confidenter ubique locutus est, ut Adrastream non posset effugere. Superest Telephus. Hanc licebit etiam post Welckerum p. 1101. diversam ab Aleadis putare, cum probabile sit, etiam sanationem Telephi tractatam esse a Sophocle. Nec poenitet eam satyricam habuisse ob ipsum argumentum, quod a tragoediae dignitate, me iudice, abhorret. Quodsi Geelii commentatio de Euripidis Telepho, quam mihi commendat Welckerus, alia suaserit, facile sententiam retractabo; at donec hanc legere licuerit aut Welckerus docuerit meliora, quod non fecit, eam tuebor, quippe qui neque alius in verba iurare soleam, et multo minus Welckerum temere sequar, quem toties tam turpiter lapsum viderim. Denique addo ex Sophoclis Telepho, cuius unum tantum fragmentum superest, posse etiam verba petita esse, quae ex Sophocle servavit grammaticus ap. Bekker. Anecd. p. 347, 30. *Ἀελζῶν πένθος ἐρεῖς, ὡς Σοφοκλῆς ἀελζῶν ἔλκος*, quaeque Bergkii (*Zeitschr. für Alterthumswiss.* 1835. p. 963.) ex Sophoclis Philocteta superstiti petita putavit, GDindorfius vero (ibid. 1836. p. 12.) etiam ex Philocteta Troïco esse posse monuit.

EXCURSUS II.

AD SCHOLIUM VS. 882. LIN. 7. SQQ.

Cum scholiorum Amatii diligentia protractorum reliquae partes inquinatae sordibus suis iacerent, non tulit, quae est virorum doctorum consuetudo, ut summi Pindari fragmentum corruptissimum negligeretur. Quare et ob praestantiam poetae, et quia ea, quae non integra supersunt, magis nos solent allicere, quam ea, quae vix auxilii indigere videntur, hoc quidem fragmentum trium exercuit virorum doctorum acumen, *Schnei-*